



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

315. De aperto latere Christi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

MEDITATIO CCCXIV.

Piorum studium erga Christum.

I. **S**tabant omnes noti ejus à longè, & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes. *Luc. 23. v. 49.*

II. Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant IESUM à Galilæa, ministrantes ei. *Matth. 27. v. 55.*

III. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome, mater filiorum Zebedæi. *Matth. 27. v. 56. Marc. 15. v. 40.* Et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei: & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Ierosolymam. *Marc. 15. v. 41.*

MEDITATIO CCCXV.

De aperto latere Christi.

I. **I**udæi (quoniam Parasceve erat) ut non remaneret in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogarunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. *Ioan. 19. v. 31.*

II. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. *Ioan. 19. v. 32.*

III Ad

III. Ad IESUM autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura. Sed unus militum lanceam latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua. *Ioan. 19. v. 33. & 34.*

IV. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus. Et ille scit, quia vera dicit; ut & vos credatis. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt. *Ioan. 19. v. 35. 36. 37.*

MEDITATIO CCCXVI.

Pietas Iosephi ab Arimathæa.

I. **C**um jam serò esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum) venit Ioseph ab Arimathæa, *Marc. 15. vers. 42. 43.* civitate Iudææ, *Luc. 23. v. 51.* homo dives, *Matth. 27. v. 57.* nobilis decurio, *Marc. 15. v. 43.* vir bonus & justus, *Luc. 23. v. 50.* qui & ipse discipulus erat Iesu; *Matth. 27. v. 57.* occultus autem propter metum Iudæorum, *Ioan. 19. v. 38.* qui expectabat & ipse regnum Dei. Hic non consenserat consilio & actibus eorum. *Luc. 23. v. 51.*

II. Hic accessit ad Pilatum: *Matth. 27. v. 58.* *Luc. 23. v. 52.* & audacter introivit

N

ad